



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorvm, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

De Antithesi, Sev Reiectione Falsæ Doctrinæ in articulis controuersis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

vnanimem & communem Ecclesiarum nostrarum pi-
am sententiam contineri, semper sit iudicatum: quip-
pe quæ à præcipuis ijsq; excellentissimis illius tempo-
ris Theologis subscriptione confirmata, & in Euan-
gelicis Ecclesijs & scholis recepta fuere. Et ea quidem
(vt paulò antè monuimus) omnia conscripta atq; ed-
ta sunt, priusquam controuersia illæ inter Augustanæ
Confessionis Theologos orirentur: ideoq; nihil in il-
lis datum est affectibus: quare etiam ab ijs, qui inter
se disceptant, reprobari nullo iure possunt. Neq; verò
quisquam (modò sincerè & sine fuce Augustanæ Cō-
fessionem amplectatur) eorum autoritatem eleuet
aut cōtemnet, sed ea (vt veritatis testes) recipiet. Qua-
re nemo vitio nobis vertet, quòd ad eorum scripto-
rum declarationem & decisionem, in obortis contro-
uersijs, prouocamus. Vt enim verbum Dei, tanquam
immutam veritatem pro fundamento ponimus: ita illa
scripta, tanquam veritatis testes, & quæ vnanimem sin-
ceramq; maiorum nostrorum, qui in puriore doctrina
constantes permansere, sententiam complectantur, in
medium rectè producimus.

DE ANTITHESI, SEU REIECTIONE FALSÆ DOCTRINÆ in articulis controuersis.

Necessarium est ad conseruandam in Ecclesia sin-
ceram doctrinam, & ad solidam, firmam, Deoq;
probatam atq; gratam concordiam, vt non tantum
sana doctrina dextrè proponatur, sed etiam con-
tradicientes diuersumq; docentes redarguantur. Fide-
lium enim pastorum vtrumq; officium est (vt D. Lu-
therus dicere solet) & ouiculas pascere, & lupum arce-
re: vt alienas voces vitare discant: & preciosam à vil-
secernere possint.

*1. Tim. 3.
Tit. 1.
Iohan. 10.
Ierem. 15.*

Quare

Quare in hac etiam parte mentem nostram inuicem declarauimus, & perspicuè declaramus: quòd, videlicet, discrimen sit habendum inter non necessarias atq; inutiles contentiones, quæ plus destruunt, quam adificiant: ne ijs Ecclesia perturbetur: & inter necessaria certamina: quando tales controuersia incidunt, ubi de articulis fidei aut præcipuis partibus Christianæ doctrinæ agitur: tum enim ad veritatis defensionem, necessario contraria & falsa doctrina est refutanda.

Et si autem paulò antè commemorata scripta pio lectori, qui veritatis cœlestis amore flagrat, in omnibus & singulis articulis Christianæ nostræ Religionis perspicuè & dilucidè demonstrant, quidnam, iuxta verbi Dei, Prophetorum & Apostolicorum scriptorum normam verum sit, & amplectendum: & quid falsum, & reiiciendum atq; fugiendum sit: tamen de præcipuis & summis articulis singulis, qui hisce temporibus in controuersiam venerunt, sententiam nostrâ perspicuè & sine omni ambiguitate proponere voluimus. Idq; eo consilio, vt veritas magis elucescat, clariusq; agnoscat, & ab erroribus faciliùs discernatur: ne quicquam, quod veritati officiat, sub nimis generalibus verbis aut phrasibus occultari possit: Tum etiam, vt publicum solidumq; testimonium, non modò ad eos, qui nunc viuunt, sed etiam ad omnem posteritatem extaret: ostendens, quænam Ecclesiarum nostrarum de controuersis articulis vnanimis fuerit, esseq; perpetuò debeat, decisio atq; sententia, videlicet:

I.

Primò reiicimus atq; damnamus omnes hæreses & errores, qui in primitiua (rectè credentium) Ecclesia, ex solidis verbi Dei fundamentis reiecti sunt & damnati.

II.

Deinde reprobamus & damnamus omnes sectas atque hæreses, quæ in scriptis paulò antè commemoratis reprobatae sunt.

Præ-

Præterea, cum intra triginta annos partim ex inter-
 religionis, quam Interim vocant, formula, partim alijs
 occasionibus dissidia inter Theologos quosdam Au-
 gustanæ Confessionis orta sint, de illis omnibus & sin-
 gulis fidem & confessionem nostram, non modò in the-
 si, verùm etiam in anthithesi (veram videlicet, & falsam
 contrariam doctrinam) disertè, categoricè, & perspicuè
 proponere & declarare volumus. Idq; ea de causa à no-
 bis factum est, vt solida cœlestis doctrinæ in omnibus
 articulis fundamenta rectius conspicerentur: & omnia
 falsi, ambigua, suspecta, & damnata dogmata (qui-
 uscunque libris contineantur, & à quocunque tan-
 dem vel conscripta sint, vel hodie etiamnum defen-
 dantur) disertè repudientur: vt omnes, ad cauendos
 errores (hinc inde in quorundam Theologorum libris
 sparsos) fideliter præmoneantur & excitentur: ne in
 rebus tantis vilius hominis autoritate seducantur.
 Hanc nostram controuersiarum explicationem si pius
 lector sedulo perpenderit, eamq; cum scriptis illis ali-
 quoties commemoratis contulerit: liquiddò intelli-
 get, ea, quæ de vnoquoq; articulo (in compendiaris il-
 la doctrina nostræ religionis & fidei) initio maiores
 nostri senserunt atque publicè professi sunt, easq; de-
 clarationes, quæ diuersis temporibus, per interualla,
 sunt consecutæ, & eam doctrinam, quam nunc hoc
 scripto repetimus, haudquaquam inter se discrepare
 sed esse simplicem, immotam, ac certissimam verita-
 tem. Et agnoscat lector candidus, nos non de vno do-
 gmate ad aliud (leuitate quadam, vt aduersarij nos cri-
 minantur) transire: sed potius nos in eo elaborare, vt
 semel exhibitam illam Augustanam Confessionem,
 etuiq; vnanimem, piam, & veram sententiam firmiter
 retineamus, atq; in ea doctrina per gratiam Dei (ad-
 uersus omnes, quæ inciderunt, corruptelas) constan-
 tes perseueremus.